



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 7. An prius petenti licet prius solvere?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

entia, cum sit actus efficax, & absolutus potestatis obligativæ.

Q. 7. *An prius petenti licet prius solvere?*

Resp. I. Non licet creditori prius petenti solvere cum damno ejus, qui habet hypothecam priorè, vel privilegium: quia huic fieret injuria, cum habeat jus prælationis. Unde solvens tenetur ei de damno, & ipse potest recuperare ab alio creditore id, quod solutum est, l. 22. Cod. de Jure deliber. qui si solutionem petiit, vel accepit, sciens jus aliorum, peccavit contra justitiam, & tenetur ante sententiam judicis restituere aliis creditoribus privilegiatis: quia fecit illis injuriam damnosam; nam petendo induxit debitorem ad damnum injustum inferendum creditoribus hypothecariis, & solutionem recipiendo cooperatus est injustæ damnificationi illorum.

Resp. II. Si unus ex creditoribus personalibus non privilegiatis exigat in judicio solutionem debiti ante alios non habentes jus prælationis, tenetur debitor ei integrè solvere, etiam si tempore esset posterior: quia lex, & sententia Judicis dat ei jus prælationis ob diligentiam, quam adhibuit ante cæteros, l. 6. & 24. ff. Quæ in fraud. credit.

Dixi, in judicio, nam si extra judicium petat, controversitur: asserunt, Sylvest. Nav. Lessius & alii, quia diligentia posterioris creditoris petentis facit eum potiozem, & quia in l. 24. cit.

24. cit. dicitur non posse revocari id, quod solutum est uni creditori debitum exigenti, nullâ factâ mentione iudicii; & hæc ratio additur, quia vigilando meliorem suam conditionem fecit. Alii cum De Lugo negant, quia sola petitio privata sine sententia Iudicis non potest dare jus uni in detrimentum aliorum æquale jus habentium; & leges supra dictas intelligunt de petitione in iudicio accedente sententia Iudicis.

*Sed si debitor non valens solvere omnibus creditoribus, solverit uni creditori non habenti jus praelationis, an hic tenetur restituere alteri creditori habenti tale jus?*

*Resp. Aff.* Quia accipiendo solutionem, impedit alterum à recipienda solutione sibi prius iure debita, & sic facit ei iniuriam damnosam. Fit tunc violatur non solum ordo, sed etiam substantia restitutionis; nam quod uni ex iustitia debitum est, solvitur alteri. Deinde accipiens cooperatur dationi iniustæ, & damnosæ alteri, seu damnificationi iniustæ creditoris, cui hæc pecunia prius debetur, & detrahitur: quænam enim maior cooperatio dationi iniustæ esse potest, quàm acceptio, quæ illam perficit, & complet, & sine qua nullum pariter damnum? sed qui cooperatur actioni iniustæ, & damnosæ, tenetur ad restitutionem. Ita Azor, De Lugo, & alii.